

Letter 216: 19 September 1524, Nordlingen, Theobald Billican to Capito

The manuscript of this letter is in the Universitätsbibliothek Basel, ms. Ki. Ar. 25a, #29.

Theobaldus Billicanus tibi quoque a Domino nostro Iesu Christo gratia, clarissime simul atque carissime Capito, quod aliquando ab episcopi aula divulsus, seculo relicto, Christi aulam sis ingressus, fratribus apud hunc pro virili patrocinator. Scit Pircamerus Noremburgensis quem ipse anno superiore, amicos aliquot istinc inviserem, quam indoluerim, non tuam in effoeminati principis aula vicem, neque enim fortem animum et syncaerum abiecisti, scio, unquam tu, et literae ad Pircamerum missae hoc testabantur, sed multorum qui tua opera, si contingat avelli ab aulica miseria, iuari possent Hoc enim unum diversum in te aulico accidit, quod obscurior cotidie et minus rei publicae litterariae commodus evaseris cum alii hinc clariores emergant. Scilicet, hoc erat opus spiritus sancti, te non humana gloria, sed caelesti cruce, illustrem reddere. Gratia igitur Domino meo Iesu Christo cui humiliter servio multis sudoribus, in laudem ecclesiae eius et utilitatem, qui te patronum meum et fratrem omnium, aliquando in ecclesiae suae munus reduxit ut nobiscum tu primas Antichristianam haeresim extirpes, conscientias miseras a laqueis illius vindicaturus.

Gratulor uxori tuae, optoque ut faciat te pulchra prole parentem, cui contigit servo Domini nubere et de illius verbi munere vegetari. Nostra ecclesia, cui unus praesum, Domino praestante, feliciter respiscit et confitetur Dominum, pro qua orabis, ut spiritu suo illam cottidie reddat illustriorem Christus. Caeterum cum his diebus interpretaer ad populum prophetam Micham adiderunt nonnulla, quibuscum difficulter luctatus sum, loca, de quibus, quaeso, ubi opportunum fuerit, rescribe. In quarto capite: *Et tu turris gregis nebulosa*, ego transtuli ex Hebris: *Et tu turris Eder propugnaculum filiae Zion*, de arce Zion, intelligens ex Gn. 35, ubi ad hunc modum 70 transtulerunt: Turrim Gader sive Eder; Dein in principio 5 capitis: *Nunc autem vastaberis filia latronis (de filia Zion) obsidionem posuerunt super nos (Assyrii) in virga percutient super maxillam iudicis Israhel*, id sit capitivum ducent, regem Israel, ex Hos. 2 hic nihil de Christo. Et in eodem capite: *Assur cum venerit in terram nostram, suscitabimus super eum septem pastores et octo primates homines*; id iuxta Hebraeae linguae consuetudinem dictum puto q.d. suscitabimus satis hostium ad conficiendum regnum Assyriorum, hoc enim 7 et 8 significant. Itaque mox subiungitur mutatus numerus. *Et liberabit ab Assur* (non Christus, non enim hic ab Assur liberavit sed Cyrus et Darius, Isae. 45, qui sint hi septem et octo. Quid tu omnino hic sentias, rescribe.

Omnes fratres in Domino saluta: Zellum, Symphorianum, Hedionem, Bucerum, in primis autem clarissimum virum, confratrem et munere et spiritu, hominem episcopum Pruchsellensem. Tu, mi pater, vale in Domino Iesu Christo et ora pro me. Nordlingiae. 19 Septembris anno MDXXIII.